



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum in solemni voto continentiae possit dispensari? 11

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

vel mandato. Et tamen cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit ut legi humanæ non obediat; quod est contra legem naturæ, & mandatum diuinum; sed fit ut hoc quod erat lex, non sit lex in hoc casu. Ita etiam auctoritate superioris dispensantis fit, ut hoc quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu, hoc non esse congruam materiam voti. Et ideo cum prædictus Ecclesie dispensat in voto, non dispensat in præcepto iuris naturalis vel diuini: sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere.

Ad tertium dicendum, quod ad fidelitatem Deo debitam non pertinet quod homo faciat id quod est malum vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, ad quod tendit voti dispensatio. Et ideo dispensatio voti non est contra fidelitatem Deo debitam.

## ARTIC. XI.

*Virum in voto solenni continentia possit fieri dispensatio?*

480

*Inf. q. 186  
a. 8. ad 3*

*\*av. præc.  
c. cū ad  
mou. ab-  
stinentiam,  
de  
statu mo-*

**A**D vndecimum sic proceditur. Videtur, quod in voto solenni continentia possit fieri dispensatio. Vna enim ratio dispensandi in voto est, si sit impeditiuum melioris boni, sicut dictum est\*. Sed votum continentia etiam si sit solenne, potest esse impeditiuum melioris boni. Nam bonum commune est diuinius, quam bonum vnius. Potest autem per continentiam alicuius impediri bonum totius multitudinis: puta si quando per contractum matrimonij aliquarum personarum, quæ continentiam voverunt, possit pax patriæ procurari. Ergo videtur quod etiam in solenni voto continentia possit dispensari.

¶ 2. Præterea, Latritas est nobilior virtus quam castitas. Sed si quis voverit aliquem actum latritas, puta offerre Deo sacrificium, potest in illo voto dispensari. Ergo multo magis potest dispensari in voto continentia, quod est de actu castitatis.

¶ 3. Præterea, Sicut votum abstinentia obseruatum potest

potest vergere in periculum personæ: ita etiam obseruatio voti continentie. Sed in voto abstinentie, si vergat in corporale periculum vouentis, potest fieri dispensatio. Ergo etiam pari ratione in voto continentie potest dispensari.

¶ 4 Præterea, Sicut sub professione religionis, ex qua votum solemnizatur, continetur votum continentie, ita etiam votum paupertatis & obedientie. Sed in voto paupertatis & obedientie potest dispensari: sicut patet in illis qui post professionem ad episcopatum assumuntur. Ergo videtur quod in solemnibus votis continentie possit dispensari.

SED contra est, quod dicitur Eccles. 26. Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.

¶ Præterea, Extra, de statu monach. \* in fin. illius decretalis, Cum ad monasterium dicitur, Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, ad eam annexa est regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere.

*Vbi sup.*

RESPONDEO dicendum, quod in solemnibus votis continentie tria possunt considerari. Primum quidem materia voti, scilicet ipsa continentia. Secundo, perpetuitas voti, scilicet cum aliquis voto se astringit ad perpetuam obseruantiam continentie. Tertio, ipsa solemnitas voti. Dicunt ergo quidam, quod votum solemnitas est indispensabile ratione ipsius continentie, quæ non recipit condignam recompensationem, ut patet ex auctoritate inducta \*. Cuius rationem quidam assignant: quia per continentiam homo triumphat de domestico inimico, vel quia per continentiam homo perfecte conformatur Christo secundum puritatem animæ & corporis. Sed hoc non videtur efficaciter dici: quia bona animæ, utpote contemplatio & oratio, sunt multo meliora bonis corporis, & magis nos Deo conformant. Et tamen potest dispensari in voto orationis & contemplationis. Vnde non videtur esse ratio, quare non possit dispensari in voto continentie, si recipiatur absolute ad ipsam continentie dignitatem:

*In l. arg. sed contra.*

præ\*

preſertim cū Apoftolus 1. ad Cor. 7. ad continentiam inducat propter contemplationē, dicens quòd mulier innupta cogitat quæ Dei ſunt. Finis autem prior eſt his quæ ſunt ad finē. Et ided alij rationem huius aſſignant ex perpetuitate & vniuerſalitate huius voti. Dicunt enim quòd votū continentie non poteſt præmitti, niſi per id quod eſt omnino contrarium: quod numquam licet in aliquo voto. Sed hoc eſt manifeſtè falſum: quia ſicut vti carnali copula eſt continentie contrariū, ita comedere carnes, vel bibere vinum, eſt contrariū abſtinentie à talibus: & tamen in huiusmodi votis poteſt diſpensari. Et ided alijs videtur, quòd etiā in voto ſolēni continentie poſſit diſpensari propter aliquā cōmunem vtilitatem, ſeu neceſſitatem: vt patet in exēplo \* præmiſſo de pacificatione terrarū ex aliquo matrimonio contrahendo. Sed quia Decretalis inducitur expreſſè dicit, quod nec ſummus Pōtifex poteſt contra cuſtodiam caſtitalis monacho licentia dare: ided aliter videtur dicendū, quòd ſicut ſupra dictū eſt \* & habetur Leuit. vlt. illud quod ſemel ſanctificatū eſt domino, non poteſt in alios vſus cōmutari. Non autē poteſt facere aliquis Eccleſie prælatus, vt id quod eſt ſanctificatū, ſanctificationē amittat, etiā in rebus inanimatis: puta quod calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer. Vnde multò minus poteſt hoc facere aliquis prælatus, vt homo Deo conſecratus, quandiu viuunt, cōſecratus eſſe deſiſtat. Solēni as autem voti conſiſtit in quadā conſecratione ſeu benedictione vouentis, vt dictū eſt \*. Et ided non poteſt fieri per aliquem prælatum Eccleſie, quòd ille qui votum ſolēne emiſit, deſiſtat ab eo ad quod eſt conſecratus: puta quod ille qui eſt ſacerdos, non ſit ſacerdos: licet poſſit prælatus ob aliquam cauſam executionem ordinis iuhibere. Et ſimili ratione Papa non poteſt facere, quòd ille qui eſt profeſſus religionē, non ſit religioſus: licet quidā iuriſtæ ignoranter cōtrarium dicant. Eſt ergo conſiderandū, vtrū continentia ſit eſſentialiter annexa ei ad quod votū ſolemnizatur: quia ſi non eſt ei eſſen-

*In arg. 1.*

*ar. præc.*

*arg. 1.*

*ar. 7. hu*

*in q.*

essentialiter annexa, potest manere solēnitas consecratiōnis sine debito continentie: quod non potest contingere, si sit essentialiter annexū ei ad quod votum solēnizatur. Non est autem essentialiter annexū debitū continentie ordini sacro: sed ex statuto Ecclesie. Vnde videtur quod per Ecclesiam possit dispensari in voto cōtinentie solēnizato per susceptionē sacri ordinis. Est autē debitū continentie essentialē statui religionis, per quem homo abrenūtiat seculo, totaliter Dei seruitio mancipatus. Quod non potest simul stare cū matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandę vxoris, & prolis, & familie, & rerū quę ad hoc requiruntur. Vnde Apost. dicit 1. ad Cor. 7. quod qui est cū vxore, sollicitus est quę sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Vnde nomen monachi ab vnitae sumitur per oppositū ad diuisionem prædictā. Et ideo in voto solēnizato per professionē religionis, non potest per Ecclesiam dispensari. Et rationem assignat Decretalis: quia castitas est annexa regulę monachali.

Ad primum ergo dicendum, quod periculum rerum humanarū est obuiandum per res humanas, non autem per hoc quod res diuinę conuertantur in vsum humanum. Professi autem religionem, mortui sunt mundo, & viuunt Deo: vnde non sunt reuocandi ad vitam humanam occasione cuiuscumque euentus.

Ad secundum dicendum, quod in voto temporalis continentie dispensari potest, sicut & in voto temporalis orationis, vel tēporalis abstinētie. Sed quod in voto continentie per professionem solēnizato non possit dispensari, hæc non est in quantum est actus castitatis, sed in quantum incipit ad latrām pertinere per professionem religionis.

Ad tertium dicendum, quod cibus directē ordinatur ad conseruationē personę: & ideo abstinentia cibi directē potest vergere in periculum personę: vnde ex hac ratione recipit votum abstinentie, dispensationē. Sed coitus non ordinatur directē ad conseruationem personę, sed ad conseruationem speciei: vnde nec  
dicitur.

directè abstinentia coitus per continentiam, vergit in periculum personæ. Sed si per accidens ex ea aliquod periculum personale accidat, potest aliter subueniri, scilicet per abstinentiam, vel alia corporalia remedia.

Ad quartum dicendum, quòd religiosus qui fit episcopus, sicut non absoluitur à voto continentie, ita nec à voto paupertatis: quia nihil debet habere tamquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesie. Similiter etiam non absoluitur à voto obedientie, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat: sicut nec Abbas monasterii, qui tamen non est à voto obedientie absolutus.

Auctoritas verò Ecclesie, quæ in contrarium obijcitur, intelligenda est quantum ad hoc, quòd nec fecunditas carnis, nec aliquod corporale bonum, est comparandum bono continentie: quæ inter bona animæ computatur, ut Augustinus dicit \* in lib. de sancta virginitate. Unde signanter dicitur, animæ continentis, non carnis continentis.

In lib. de  
bono con-  
tingal. c.  
23. 7. pri.  
som. 6. de  
virg. c. 7.  
c. 8.

481  
Sup. a. 2.  
ad 3. Et  
4. d. 38. q.  
1. a. 1. q.  
1. ad 4. et  
a. 4. q. 1.  
co. c. ad  
2. c. 9. 4.  
per tot.

ar. 10. hu  
ius q.

## ARTIC. XII.

*Vtrum ad commutationem vel dispensationem voti  
requiratur prælatis auctoritas?*

**A**d duodecimum sic proceditur. Videtur, quòd ad commutationem vel dispensationem voti non requiratur prælatis auctoritas. Aliquis enim potest intrare religionem absque auctoritate alicuius superioris prælatis. Sed per introitum religionis absoluitur homo à votis in seculo factis, etiam à voto terre sancte. Ergo voti commutatio vel dispensatio potest esse absque auctoritate superioris prælatis.

**¶** 2. Præterea, Dispensatio voti in hoc consistere videtur, quòd determinatur in quo casu votum non sit observandum. Sed si prælatus malè determinet, non videtur esse vouens absolutus à voto: quia nullus prælatus potest dispensare contra præceptum divinum de implendo voto, ut dictum est \*. Similiter etiam si aliquis propria auctoritate rectè determinet in quo casu vo-

tum